



# **Disputat. physica specialis de insularum generatione tertia**

<https://hdl.handle.net/1874/340977>

DISPUTAT. PHYSICA SPECIALIS  
 DE  
 INSULARUM  
 GENERATIONE,  
 TERTIA.  
 QUAM

Favente Deo Opt. Max.

SUB PRÆSIDIO

D. PAULI VOET J.U.D.&L. A. M. Meta-  
 physices ac Logices in almâ Academiâ Ultraje-  
 ctinâ Professoris ordinarii,

Publicè defendere conabitur,

HENRICUS DUPRIE Slusa Fland.

Ad diem 29 Junii hor 4 octavâ.



ULTRAJECTI,

Ex Officina, JOHANNIS à WAESBERGE,  
 Anno: M DC L,

*Venerando, Piiſſimo Viro,*

D. JOHANNI DU PRIE, civi apud Sluſanos æquiſſimo, graviffimo, Parenti meo dilectiffimo, Filiali amoris genere & obſervantiæ, quoad vivam, proſequendo.

U T E T,

*Speſtatiff. celeberrimis, pietate ac doctrina conſpicuis viris,*

D. ABRAHAMO WILSENIO, verbi divini apud Mudentes præconi Fideliffimo, Theologo doctiffimo, in linguis veratiffimo, Præceptor quondam meo ſolertiffimo, Parentis inſtar ſuſpicendo.

D. JOHANNI van DORTH,

D. CORNELIO vander LINGE,

Theologis facundiffimis, Orthodoxiæ propugnatoribus ſtrenuiſſimis, vigilanterque in Gregem Chriſti, illi Sluſæ, huic Rheno-Trajecti excubantibus, de ſtudiis meis plurimum meritis, in dieſque merentibus.

*Haſce meſſis Philoſophica primitias in grati  
animi reſponſos ſubmiſſe.*

D. D. D.

Henricus du Prié

*Reſp.*

## De Insularum Generatione

T E R T I A,

T H E S I S I.



Vperioribus disputationibus ea fuerunt à me explicata, quæ insularum ortum, interitum, usum spectant. Hâc disputatione particulares quæstiones seu dubia, quæ alicujus sunt ponderis enodabo.

I I

Ac primo quidem disquiritur, cur quædam insulæ huc aut illuc contis impellantur navigii instar, aut etiam ad ictum modulantium pedum commoveantur? Resp. 1. Insulas istas esse fluctuantes, natatiles, aquarum superficiæ incumbentes, veluti errantes mediis in undis; uti de Delo insula testatur Callim. Hym. in Del. quæ, ἀφ' αὐτοῦ πλάγῳ ἔσαν ἐπέπλωσι, libera mari innatabat. Sic igitur tales insulæ, quæ radicibus fundo non ad heferant huc illuc facili negotio, aut vento, aut fluctibus aut contis impelli poterunt. Neque tamen hinc inferri oportuit, omnes commoveri, aut impelli eas insulas, quæ liberæ mari innatant, aut aquis incumbunt; tum quod ex quorundam sententiâ quotquot sunt insulæ omnes & singulæ dicantur aquis innatare, negato centro gravitatis circa medium globi terreni; tum quod quædam majores insulæ ratione magnitudinis, non ita commoveantur: vel quod Deo visum immotas eas servare insulas, mediis in undis, non aliter ac certa naturæ lege immotam voluit tellurem quamvis medio in aère elemento aqua adhuc de cuplo subtiliore, suspensam. Vel quod sub aquis hæc forte insula alteram contingat, eique sic affixa sit, ut illa immota, altera etiam immota remaneat, etsi utraque aquis incumbat. Resp. 2. Insulas istas etiam forte fundo coaluisse, verum tamen, quia non constant partibus terreis

adeo crassis, & densis, sed levioribus, rarioribus; vel etiam quia radicibus gaudent flexibilibus, adeo ut inflecti possint facile contis duci, aut ad pedum concussionem commoveri; quas etiam inde non *saltuares*, ut quidam perperam apud Plin. legunt, sed *saliæres* dictas, notat vir summ. Salmas. in exercit. Plin. p. mihi 125. Idem licebit observare in quibusdam Hollandiæ partibus, ubi quia terra est cespititia, etiam si radices subitus egerit, ad ictus nihilominus aut saltus majores in superficie, tota contremiscit. Neque mirum, cum etiam in partibus terræ solidioris major impetus factus excitet trepidationem, etiam levis pulsio vel percussio, mutabilem, vel sensibilem saltum motum producat.

I I I.

Secundo inquitur, cur quædam insulæ nunquam mergantur, etiam si tumidum ac impetuolum sit mare, etiam in littoribus exundans? Responderet Bodinus omnes insulas mari innatare, etiam quæ constant materia solidiore, adeoque eas ad instar arcæ Noachi intumescuntibus ac elevantibus sese aquis etiam elevari, & quo aquæ sunt altiores, ita etiam magis in altum evehitur, nunquam vero deprimi posse naturæ certa lege, quæ constitutum ut perpetuo terra eminentior aqua, illi incumberet. Sed forte illa Bodini responsio aliquid dubii contineret. Hinc potius aliter respondendum cenleo. Et primo quidem dico, quædam insulas esse natatiles, ex algâ quæ marinâ, juncis, stramentis, fecibus, aliisque rebus sordidis, materia sc. levi conflatas, quæ omnia firmius firmiter invicem colligata ac coherentia facile mari aut aquis innatant, iis sc. leviora, hincque factæ insulæ nunquam sub aquis merguntur, verum superficiei incumbentes in modum suberis, fluctibus elevatis, simul se levant, & levantur. Secundo respondeo, ideo marinas quædam insulas nunquam fluctibus obrui, etsi sint densarum & crassarum partium, etiam si fundo sint affixæ. Quod etiam si maris aqua ut est procul à littoribus, illis sit altior, prope littora tamen insularum insulis, & littoribus sit depressior, imo se deprimat, vel quod evitet terræ siccitatem, ariditatem, neque se cum ea misceri

sceri patiat, tamquam cum suo cōtrario, ratione qualitatum, uti hoc colligo guttulæ experimento, vel modicæ quantitatis aquæ super terra arida, super cineribus, super arenâ effusæ; quæ etiam si supra particulas arenæ sit elevata, & undique particulæ terre modicæque quantitatem ambient, illa tamen intra figuram rotundam se recipiens, tanquam sub hac specie adversus hostem munita satis, nunquam sua fluiditate partes circumstantes terræ conteget, quibus tamen est elevatior, adeo ut eas intuitu fluiditatis suæ possit cōtegere. Vel etiam tertio, quod hæc sit aquæ natura, ut prope terminos, uti se ab alio elemento terminari patitur, semper depressior sit, quam prope medium, neque ubi aqua terram contingit, unquam supra terram elevata conspici possit, etsi paulo à terra remotior, elevatior conspiciatur & maxime elevata circa medium, in quo sensibiliber latis altitudine suæ superficiæ terræ terminos superabit. Si quisquam dictis non credat, sensibus credat, & experimento infallibili vitri aqua aut vino, etiam supra terminos oræ aut marginis repleti. Ibi observatu facile erit aquam fluidam vitri marginem, etsi se depressiorem & aëre undique cinctam non transilire, quod tamen fieri oportuit, si aquæ fluiditas introspiciatur, & terminorum ambientium depressio. Si igitur aquæ altitudo vitro contenta circa medium margine vitri est elevatior, circa marginem non item, neque ea est circa marginem altitudine, quâ circa medium, neque supergreditur vitri oram, & si altitudine satis notabili marginem exsuperet; quid metuendum ne non contineatur littoribus etiam depressioribus unda circa profundum maris alti longe ipsis littoribus etiam insulis? Respondeo quarto Deum certos terminos assignasse sua providentia fluctibus marinis, quos præcepto conditoris ligati non excedunt, aut egrediuntur, idque in commodum hominum & jumentorum ne scil. immite istud elementum, sua fluiditate omne animantium genus cōtegeret, ac suffocaret. Etiam aquæ talem indidisse naturam, ut admodum gibbi, ad littora depressior sit paulo, à littoribus elevatior. Sic

certe oculis cernimus, eo gibbosius esse mare quo magis in altum prospicimus; sic experimento comprobamus gibbum aquæ circa medium, sic veteres suis locutionibus testati fuere, qui *dorsum maris* altum æquor nominando, nihil aliud designare voluerunt, quam convexitatem maris circa medium:

I V.

Tertio disquiritur qua ratione, quoque modo ad insulas devenerint fera animalia? Respondeo primo, non improbable esse homines qui primitus instinctu & admonitu Dei omnis generis animalia in arcam deduxerunt, eosdem vel admonitu divino, vel quod intuerentur Dei scopum, (qui per introductionem animalium in arcam voluit conservare rerum species) eadem animalia jam domata satis & cicurata ad insulas secum transtulisse. Respondeo secundo improbable esse Deum post exitum ex arca miraculoso modo domasse fera animantia ut ab hominibus se contractari passa sint. Frustra quippe ad miracula confugimus cum modo ordinario homines anno, si non brevi ore temporis spatio soleant instar agni mitia reddere animalia efferrata, & mansuefacere arte, quæ natura erant indomita. Etiam improbable solo venandi studio homines ad ignotas delatos insulas transtulisse leones, apros, urfos &c. Quasi non plus in hominibus valeat admonitio divina, aut quod ipsi noverint Dei propositum, cui satisfacere volebant, quam suis cupiditatibus. Quasi etiam non magis tum temporis solliciti fuerint de agris fertilibus, quam de venationibus, reliquisque rebus non tam ad esse, quam ad jucunditatem requisitis. Respondeo tertio mihi videri maxime probabile fera animantia non tantum hominum cura, sed potissimum sua sponte ad insulas devenisse. & quidem ad insulas viciniores facili negotio transtare poterant. Si quis querat quo instinctu? Respondeo naturæ instinctu, quo feruntur ad alia loca, illecta scilicet: pabuli abundantia, quæ tanta copia non erat eo loci, ubi vivebant. Sic referunt antiqui Scriptores Taurum ex partibus Liguriæ quotidie pabuli causa solitum ad insulam Corticam, quæ fertilissima erat transtare, & probe saginatum redire.

Ad insulas vero remotissimas illa sic devenisse arbitror. Per plurimam sunt insule natantes fluctuantes, quas situm suum sæpius mutasse tot seculorum curriculis sit probabile, & cum ista insule per maria errabant, simul cum illis vehebantur animalia bruta, cumque forte tum in has, tum in alias insulas immobiles impingerent bruta, ut conspexere alias insulas ex natantibus, quæ aut continentî, aut aliis adhibebant, in illas transiliebant pabuli forte virore mota. Quæ natantes insule ut forte vento aut unda marina ab aliis semotæ fuere, sic ibi bruta remanere coacta fuerunt. Et ut sic sentiam, moveor illo Plin. Iun. lib. 8. Epist. ad Gallum p. mihi 232. Qui in hunc modum scribit de Insulis in Vadimonis lacu natantibus. *Nulla in hoc (scil. lacu) navis, sed innatant insula herbida, omnes harundine & junco tectæ, quæque alia sacandior palus, ipsaque illa extremitas lacus effert. Sua cuique figura, ut modus conctis margo, derasus: quia frequenter vel littori, vel sibi illusa terunt, terunturque. Par omnibus altitudo, par levitas; quippe in speciem carina humili radice descendunt. Hæc ab omni latere perspicitur, eademque, aqua pariter suspensa & mersa. Interdum juncta copulatæque, & continentis similes eunt: interdum discordantibus ventis digeruntur, nonnunquam destituta tranquillitate fluitant. Sape minores majoribus, velut cymbula onerariis aahare scunt. Sape inter se majores minoresque quasi cursum, certamenque desumunt. Rursus omnes in eundem locum adpulsa, qua steterunt promovent terram. Et modo hæc, modo illac lacum reddunt, auferuntque. Auclum demum cum medium tenuere non contrahunt. Constat pecora herbas secuta, sic in insulas ut in extremam ripam procedere solere, nec prius intelligere nobile solum, quam litore abrepta, quasi illata & imposta circumfusum undique lacum pavent. Mox quo tulerit ventus egressa non magis se descendisse sentire, quam senserunt ascendisse. Hactenus Plin.*

### Corollaria Respondentis.

- 1 AN detur materia primæ Aff.
- 2 An in interitu rei naturalis fiat resolutio in materiã primã N.
- 3 An detur ignis Elementaris sub concavo lunæ? Quodlib.
- 4 An elementa in propriis suis locis gravitent, aut levitent? Neg.
- 5 An in uno compositio una detur anima: an vero plures realiter distinctæ: prius Aff. post. Neg.



- 6 An animæ rationales omnes fuerint simul ante corpora productæ? N.  
 7 An anima rationalis sit ex traduce: an vero immediate à Deo infun-  
 dendo creetur, & creando infundatur? prius Neg. post Aff.  
 8 An intellectus verjetur circa uniuersalia & singularia? Aff.  
 9 An anima rationalis sit diuisibilis? Neg.

F I N I S.

Præstantissimo,

D. R E S P O N D E N T I.

**Q**Uæ gravidâ longo veniunt oriente carinâ,  
 Vt largis ditescit opum mercator acervis:  
 Sic docti sacris veniunt quæ *Castalis* undis,  
*Pierii* ditant cultorem munera fontis.

Te crebro suaves adiisse, *Priæ*, *Camænas*,  
 Ditia perculso promis quæ munera corde  
 Lætâ voce sonant, subito quæ vera reponis,  
 Pro falsis falsæ turbæ, responsa loquuntur  
 Diuitias animi, mentemque labore subactam.  
 Sic, juvenum lælix, coluisti *Palladis* arces,  
*Castalii* toto descendant agmine fructus,  
 Et tua facta beent: animi juvenilibus annis  
 Dant tibi canities, mentisque sagacis acumen  
 Longæ vos æquare senes: bis, terque beate  
 Intrepide pergas, furiarum tota caterva,  
 Æquora nec fraudes, & quæ meditanda supersunt,  
 Te diuis poterunt donis spoliasse *Minervæ*.  
 Intrepide pergas, ferales optima flammæ  
 Fama tui lugiet: præstans per secula nomen  
 Protrahet, & cælo quondam te *Musa* beabit.

Cecinit

M. P.